



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

430. An, & qualiter cesset per renunciationem Coadiutoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 430. An & qualiter Coadiutoria cesset per renunciationem, seu cessionem Coadiutorii?

1. **R** Esp. Cessare Coadiutoriam cessione Coadiutoris Remouch. *loc. cit. n. 2.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 131.* Ventrigl. *tom. 2. loc. cit. n. 56.* modò accedat consensus superioris, nimirum Papæ vel Ordinarii pro qualitate beneficii. Remouch. Ventrigl. Gonz. *ll. cit.* quia Coadjutor cum futura successione per acceptationem Coadiutoria videtur contraxisse initialiter matrimonium cum Ecclesia, Remouch. Ita etiam ut in hoc non attendatur Coadjuti consensus, vel dissensus. Remouch. *loc. cit.* cum Coadiutoria concessa in favorem Coadjuti in consequentiam tantum; principaliter verò in favorem Ecclesie. Remouch. Gonz. *ll. cit.* nunquam autem attenditur, quod in consequentiam venit; sed quod principaliter agitur. Gonz. *gl. 45. §. 1. n. 35.* citatis plurimis textibus juris civilis & AA. Distinguunt tamen hoc ipsum alti, ita ut renunciare nequeat, & cedere invito Coadjuto propria auctoritate, vel etiam cum consensu Ordinarii: possit tamen id ipsum cum consensu Papæ. Item possit id ipsum de licentia Ordinarii, dum consentit Ordinarius. Ventrigl. *loc. cit.* Garc. *p. 4. c. 5. n. 125.*

2. Futura verò successioni; cum sit merè in ejus favorem cedere, & renunciare potest Coadjutor absque consensu superioris & Coadjuti. Garc. *loc. cit.* siquidem sic renunciare quis potest literis ad beneficia, seu juri ad beneficium. Garc. *p. 11. c. 3. n. 247.* citatis quamplurimis.

3. Cessat quoque Coadiutoria per renunciationem Coadiutoris in favorem, seu potius transfertur in alium, modò accedat consensus Papæ & Coadjuti respectu personæ resignatarii, ceteraque qualitates per Trid. in Coadjutore requisitæ. Remouch. *loc. cit. n. 4.*

Quaestio 431. Num expiret Coadiutoria per mortem concedentis.

1. **R** Esp. Quamvis re integra regulariter gratia super beneficiis vacaturis expirent morte concedentis Papæ juxta expressum textum *c. si cui. de prob. in 6. & per regul. 10. Cancell. revocari soleant gratia quæcumque expectativa, & reprobari de super obtenta & expedita litera.* Quamvis etiam similes gratia expectativa respectu dignitatum collatarum concessa non sine prævio consensu (ut fieri solet) collatorum ordinariorum, aut patronorum re adhuc integra expirent per mortem illorum, qui in eas suum præbuere consensum, ut pote per quas non videtur tolli jus successoris, quo minus is re adhuc integra sive ante effectum gratiæ, aut simplicis commissionis de providendo, uti possit illo suo jure, & disponere de beneficio in suo mense vacante, ut habet & probat Remouch. *n. 17. n. 9.* Idque eò magis, quòd dispositio defuncti ordinarii aut patroni non habeat formam, & vim canonicæ provisionis, sed nudi consensus. Secus accidit in electivis; dum non nisi de consensu electorum seu capituli concedi ad illa solent gratia expectativa, quæ præbito semel hoc consensu, non expirent morte præbentium illum; eò quòd Capitulum non moriatur, nec habere dicatur successores, etsi omnia ejus membra seu singuli Capitularium decesserint subintrañtibz aliis: sed semper idem sit Capitulum, non obstanto, quòd recipias

incrementum & diminutionem seu subrogationem singulorum. Remouch. *loc. cit. n. 8.* Licet inquam hæc ita se habeant, adhuc Coadiutoria respectu majorum dignitatum concessa servatis servandis ex præscripto Tridentini non expirent ex dictis causis. Idque propter dicti Concilii auctoritatem eas permittentis, ob quam sufficit consensus semel ordinatum seu Capitulum juxta naturam dignitatis aut beneficii, & Papam antecessorem ex causa rationabili conformata dispositioni conciliari ex nunc prout ex tunc contulisse. Remouch. *n. 11.* vi enim dictæ clausulæ desit res esse integra. Remouch. *ibidem,* & gratia jam est perfecta. Garc. *p. 6. c. 2. n. 305.* ubi: gratia ad beneficium vacaturum incertum non expirat morte Papæ ante vacationem, etiam re integrâ, quando non committit provisionem, sed ipse confert ex nunc prout ex tunc; quia tunc gratia est facta, pro quo recitat *decis. Rotæ in una Calleguriana expectativa. 1. Jul. 1592.* Idque multò magis procedit in gratia ad certum beneficium vacaturum facta certæ personæ, ut idem tradit *loc. cit. n. 300.* adeòque multò maxime, dum Papa non mandat, sed ipse confert ex nunc prout ex tunc, uti fit in cessionibus Coadiutoria.

2. Neque obstat responsioni *cit. c. si cui. & regul. 10. cancellar.* uti nec Tridentinum *sess. 24. c. 19. & sess. 25. c. 7.* quia loquatur de meris expectativis & mandatis de providendo, uti & de beneficiis simplicibus non habitibus ad Coadiutorias. Remouch. *n. 12.* respectu quorum data gratia expectativa vel simplices istiusmodi commissiones de providendo videntur expirare per mortem Papæ concedentis aut Ordinarii consentientis, propter deficientem concilii auctoritatem & fomentum; & quia insuper nullo jure suffulcuntur, ideòque Ordinarium & Papam successorem, dum vacabunt, posse providere de talibus beneficiis. Remouch. *n. 13.* quietiam *n. 14.* subjungit, id ipsum, quod dictum de talibus beneficiis, potiore ratione obtinere respectu officiorum secularium, ex quo illa simpliciter & absolute dependent à collatoribus, sic ut Princeps super illis nequeat concedere Coadiutorias, vel, ut vocant, supervivencias in præjudicium successorum, quibus non possunt legem imponere ut æqualibus juxta *c. innotuit. de elect.* quod citat, maxime quando ejusmodi commissiones sunt gratuiæ. Num verò integer magistratus aliquis secularis annalis, seu ad annum tantum durans possit concedere validas & irrevocabiles istiusmodi Coadiutorias, seu supervivencias, merito dubitat Remouch. *loc. cit. n. 17.* pro cujus confirmatione tali magistratui annali applicari saltem non posse affirmat, quæ dicta paulò supra hac *eadem quaest.* de Capitulo, utpote quod non renovatur uno actu, quin & moraliter nunquam renovatur, dum singulis deficientibus subrogantur singuli, nec ideo minus manet idem corpus; in tali verò annali magistratu seu collegio totum corpus uno actu dissolvatur.

Quaest.